

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1780

**Auteur(s) :** Rotrou de Warwick, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Richard, Gruchet-le-Valasse, Notre-Dame-du-Vœu du Valasse (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1169, 17 mars

**Lieu d'émission :** Gruchet-le-Valasse

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Rotrou, archevêque de Rouen, prend sous sa protection l'abbaye de Notre-Dame-du-Vœu (Le Valasse) et confirme tous les biens qu'elle possède dans le diocèse de Rouen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Rotomagensis, n° XXIII, col. 25-26.

Texte établi d'après a

Ego Rotrodus, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, dilectis filiis Ricardo abbati de Voto, ejusque fratribus regularem vitam professis imperpetuum. Sancta mater ecclesia spiritu discretionis et gratiæ plena, humiles filios provehit et exaltat, quæ quanto ferventiores in religione conspicit, tanto eos carius amplecti consuevit. Eapropter, dilectissimi filii, quia districtiorem vitam Cistercii ordinis strenue vos tenere cognoscimus, sancti patris nostri papæ Alexandri vestigiis inhærentes, necnon et prædecessoris nostri piæ memoriæ Hugonis archiepiscopi, vos et vestra in quibus divino mancipati estis servitio, sub nostra et sanctæ Rotomagensis ecclesiæ protectione suscipimus, et præsentis confirmatione communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona impresentiarum juste et canonice possidetis, et deinceps, annuente Domino, acquirere poteritis, vobis vestrisque successoribus firma et illibata permaneant ; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, vallem scilicet ipsam inter Insulam bonam et Bollebec, in qua monasterium vestrum a Mathildi nobilissima imperatrice filioque ejus illustri rege Henrico, in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ fundatum est, cum terra quam vobis prædicta imperatrix emit ab Aalix uxore Februarii, et filiis ejus, pro XL. libris, grangiam quoque de Parvo becco, cum omni terra quam vobis ibidem imperatrix et rex dederunt, in foresta etiam Fiscanni totam terram et boscum quæ vobis ab ipsis collata sunt, cum omni libertate, sicut cartæ eorum testantur, et metæ ibidem positæ dividunt, necnon et decimas ejusdem terræ, ab Henrico abbate Fiscanni et conventu sanctæ Trinitatis quæ juris sui sunt, vobis concessas et scripto confirmatas. Ex dono etiam Gualeranni comitis Mellenti, et Roberti filii ejus totam hayam de Liutot cum omnibus appenditiis suis, vineas quoque apud Mellentum, tam de dono ipsorum quam suorum hominum. Præterea redditum salis apud Cur . . . . ex dono Vualteri comitis, Giffardi, et quicquid ex aliorum fidelium donatione possidetis, sicut cartæ donatorum attestantur, vobis nihilominus confirmamus. Allecum quoque sex millia apud Pontem-Audomari, a Galeranno comite Mellenti, et Roberto filio ejus vobis data, et in prima septimana Quadragesimæ reddenda. Capellam vero S. Marcelli cum proximis agris ab ecclesia Bernacensi in concambio alterius terræ vobis datam, sicut a prædecessore nostro confirmatum est, nos quoque confirmamus. Si

qua ergo ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam temerare præsumpserit, vel vestrum monasterium super iis vexare, fatigare tentaverit, indignationem Dei, et sanctorum omnium se incursum sciat : et a sacratissimo corpore et sanguine Domini alienus nisi resipuerit, remanebit. Cunctis autem loco vestro sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, et gratia per omnia secula seculorum, amen. Ego Rotrodus archiepiscopus Rotomagensis, ego Radulfus thesaurarius, ego Herbertus canonicus, ego Rainaldus canonicus. Datum per manum magistri Rainaldi cancellarii, anno ab Incarnatione Domini 1168, XVI calendas Aprilis, apud Votum.